



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Iviii. Ad aridam pituitam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

*Qua ratione destillatio & grauedo generantur, cognoscuntur, curantur.*

**D**ESTILLATIONIS & grauedinis plura genera à variis causis oriuntur: interdum à putridis carnibus, interdum à diurnis fumis, aliquando à pituita ventriculi, aliquando à defluxione capitis destillante in fauces, nonnunquam à fame, sæpe à nimia edacitate, tum ab ictu illato plagæ accipitris, item ab exhalatione grauioris cœli, aut à vaporibus generatis à lapide ventris. Cognoscitur ex oculorū tumore, sternutatione, lingua, cum excrementum nigrum infra linguam collectum est, aut cum accipiter caput fricat, aut infra alas demittit, aut vnguibus nares suas vellicat, aut solitum cibum non capit. Destillationis sex sunt species, quarum nomina & curationes suis locis reddemus. Prima est sicca & arida.

*Ad aridam pituitam.*

**S**ICCA est pituita, cum sternutans accipiter nihil per nares emittit. Remedio est pix munda subacta cum aceto acerrimo quam minutissime eousque contusa, dum strigmenti balnearum crassitudinem ha-

beat, eamque pinna imbuta in illius nares demittito semel die, similiterque altero die curato, si vides profuisse: quinetiam tertio die simili curatione vtitor, si vides accipitrem melius habere. Quoties curabis, toties post vnctionis digestionē melle eius fauces perunges, vt ab aceto flagrantem recrees. Sed commodius esset medicinam cum exiguis frustulis carnis commistam dare, vt acerbitas medicinæ his deglutiretur melius, quam spiritu accipitris. Si hoc remedium profuerit, garum primæ notæ similiter naribus inmitte semel die. Quod si similiter permanet, neq. vlllo prædicto remedio discussa sit, columba detur edenda. Si non habes columbam, suilla caro calida cum oleo; & ad sanitatem perduces. Equidem ipse ex longo vsu inueni, recrementa ferri minutatim trita & cribrata, cum carne data, per triduum hunc affectum sanare. Sed ad omnem morbum optime facit noctua in cibum data.

*Vnguentum hybernum ad omnem  
distillationem.*

**P**IPERIS, castorij, singulorum scrupula  
bina. Zinziberis, costi, nardi spicatæ,  
euphorbij,